



**B**althasar Imbserus Friburgi Brisgaudię natus, à teneris annis uirtutibus & literis operam dedit, & foelici ingenio fretus artium fundamenta egregiè iecit. Postea uerò religione motus Gengenbacense monasterium accessit, & Benedictinorum ordinem suscepit. In eo loco cum reliquos eruditione superaret, à docto Abbate Gisberto Prior constitutus fuit. Hoc genere uitę cum modestè pergeret, præter expectationem in Ettesheimminster monasterio Brisgaudię Abbas electus fuit, anno 1560. Monasterium illud fundatum legitur annum Christi circiter 700, à Vuigerno monacho postea Ecclesię Argentinęsis Episcopo, qui primum

ei nomen indidit, ut Monachorum, hoc est, solitariorum hominum & hæremitarum cella appellaretur. Cum uerò post aliquot annos collapsa esset, monasteriolum admodum tenuiter prius inchoatum, renouatum est anno 734, ab Ethone Habsburgio comite. Is sui cœnobij primus abbas fuisse dicitur, qui inde ad Episcopatum Argentinensem uocatus est. Verùm post mortem anno 780 ad suum monasterium relatus nomen ei dedit, ut postea Ethonis monasterium dici cœperit. Situm est autem ad Nigram syluam prope Kentzingū oppidum Brisgaudię, haud procul à Rheno.